

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8674

Auteur(s) : Robert Ier, Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1191, 6 mai-1217, 8 septembre]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

AUTRE CHARTRE DU MESME ROBERT COMTE D'ALENÇON. — Robert dans cette charte mentionne les donations qui lui sont personnelles ; on peut les résumer ainsi : la ferme de l'Epichelevie ; la dîme de Neufchâtel ; les moulins de Mamers et de Fort-Manoir, avec les maisons, les rentes et les hommes qui en dépendent ; la ferme de Blanche-Lande, en Sonne ; les champs et les prés de la Laire ; les terres de la Boiterie ; les dîmes de Barre et deux parties d'une dîme à prélever sur Damigny. Il donne aux moines la maison de Jean Barate, maison située devant le château d'Alençon, avec jardins et dîmes. Il leur concède aussi un droit de cens.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Danguin, 1880, n° VIII, p. 19-21.

Dissertation critique

Robert Ier succède au comte d'Alençon à son frère Jean II (mort le 6 mai 1171) et meurt le 8 septembre 1217.

Texte d'après a

Universis sancte matris ecclesie filiis, baronibus, ballivis, militibus, justitie ministris et omnibus aliis ad quos littere iste pervenerint, Robertus comes Alenconis, filius Johannis comitis filii Willermi comitis Pontivii, salutem. Noscant presentes et futuri nos concessisse et presenti charta confirmasse Deo et ecclesie Beate Marie Virginis de Persenia et monachis ibidem Deo servientibus et servituris, pro salute anime mee predecessorumque atque successorum meorum salute, in primis locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum nemoribus et pertinentiis suis. Grangiam de Sancto Jacobo. Grangiam de Haaiis. Pressorium de Novo-Castello cum domibus, vineis, clausuris, et plesseis suis usque ad magnum nemus. Terras et molendinum de Britesca cum mouta et stagnum ejusdem molendini. Terras de Landis. Grangiam de Ragoneria. Terras, census et homines de l'Epichelerie. Locum qui vocatur Buignon, cum terris et pratis ad eundem locum pertinentibus juxta Novum-Castellum. Decimam suam de Novo-Castello. Grangiam de Altanosia. Grangiam de Montepopolano. Grangiam de Thusca. Grangiam de Thoigne. Pressorium de Pireto cum vineis, domibus et pertinentiis suis. Grangiam de Courtremblay. Molendinum de Mamerto. Molendinum de Forte-Manerio cum domibus, census et homines ejusdem loci cum pertinentiis suis. Grangiam de Albalanda. Grangiam de Clarofonte. Grangiam de Roleriis cum pratis, piscariis et pertinentiis suis et juxta eandem grangiam tres sextarias terre. Grangiam de Sicca-Noa. Grangiam de Malafia cum bordis et nemoribus sicut se extendunt usque ad ductum aque que dicitur Sorel et ultra usque ad bordas predictas. Agros et prata de la Laire et terras de la Boiterie. Hec omnia predicta cum grangiis, domibus, terris, pratis, nemoribus,

cum stagnis, aquis, piscariis, cum pertinentiis et cum omnibus dictis ecclesie et monachis pertinentibus et cum omnibus aliis rebus donatis a predecessoribus nostris ipsis ecclesie et monachis confirmamus et rata confirmata habemus nichil nobis nec heredibus nostris in predictis locis in districtu, dominio, nec in jurisdictione aliqua temporalia retinentibus. Concedimus insuper et damus Deo et ecclesie Beate Marie et monachis predictis ibidem Deo servientibus et deservituris in omnibus locis predictis et quolibet ipsorum et in omnibus aliis rebus ad dictam ecclesiam pertinentibus omnem venationem ad groussa animalia et parva et omnem jurisdictionem temporalem altam et bassam ac etiam plenariam, absque hoc quod nos nec heredes nostri possimus ipsos monachos seu eorum mandatum in aliquo impedire seu etiam contraire. Concedimus etiam monachis prefatis burgensem unum in villa Alenconis cum domo sua et feodum Bartholomei cum decimis de Barra et cum duabus partibus cujusdam decime in parrochia de Damineyo in feodo Hain. Concedimus etiam ipsis monachis domum Johannis Barate que sita est ante castellum Alenconis, cum hortis, decimis et canaberiis suis de Barra et ipsis concedimus census Alenconis. Concedimus insuper et damus dictis ecclesie et monachis, grangiis, domibus et omnibus locis predictis et omnibus aliis membris pertinentibus dictis ecclesie et monachis et omnibus aliis causam ab ipsis monachis habentibus in dictis locis manentibus, usagium suum in omnibus forestis et nemoribus nostris ad omnia eis necessaria et panagium omnium porcorum suorum et omnium animalium suorum, pasturam omni tempore, exceptis ventis et talleis usque ad septem annos. Nec volumus quod ab aliquo serviente nostro forestario vel custode forestarum valeant molestari et quia foreste sunt longe ab eis et forte non explectant vel explectaverint annis singulis futuro tempore, nolimus quod istud predictis monachis nec predictis omnibus vertatur in prejudicium quin possint in dictis forestis et nemoribus usagium suum capere et explectare quotienscunque voluerint et sibi viderint expedire. Volumus et concedimus quod ipsi monachi per se vel per alium teneant domum suam de Columberis juxta Alenconem cum grangia et decimis et pertinentiis suis, que res ad ipsos monachos proveniunt tam ratione acquisitionum quam eleemosynarum. Et quod ipsi monachi seu illi qui in dicta domo vel in pertinentiis ejusdem remanebunt in futurum de mandato seu nomine ipsorum monachorum habeant usagium suum in forestis predictis ad edificandum et calefaciendum et ad omnia eis necessaria et panagium omnium porcorum suorum et omnium animalium suorum pasturam, et gaudeant de omnibus libertatibus sicut et monachi predicti. Volumus et concedimus insuper quod omnia que in presenti charta sunt nominata cum omnibus membris et pertinentiis suis, et cum omnibus rebus dictis ecclesie et monachis pertinentibus honorifice et integre conserventur in puram et perpetuam eleemosynam absque hoc quod nos, nec ministri, nec heredes nostri possimus ipsos monachos successoresque suos aliquando in aliquo impedire, seu etiam contraire, nec in predictis locis aliquam justitiam exercere et si acciderit per aliquod pravum consilium vel per aliquam occasionem, quod nos, aut ministri, aut heredes nostri exerceamus aliquam jurisdictionem in predictis rebus, nec in membris, aut in pertinentiis suis, volumus quod nullum prejudicium dictis monachis nec successoribus faciat, nec eisdem noceat in futurum, nec nobis nec heredibus nostris prosit illa exercitatio jurisdictionis nec in jure nec in possessione nec in proprietate. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum presentibus litteris sigillum meum apponi feci, in presentia Willermi de Rochis militis, Odonis Cottinel, Roberti de Osse militis, Philippi de G., Johannis nobilis militis, Elinandi de Gervasii de Cor. militum, cum pluribus aliis.